





Ab. 127.  
29.





DISPUTATIO XXI.

DE INFACTVM  
ACTIONIBVS, PRÆSCRIPTIS  
VERBIS, ET CONTRACTIBVS  
innominatis,

*Quam*

Auspice Deo Opt. Max.

Sub Præsidio

Dn. Ortolphi Fomanni I. V. D.  
& P. P. P.

publicè disputandam

Proponit

Iacobus Strassius Allerheimensis,

*Ad diem 21. Decembr. hora & loco  
consueto.*



J E N Æ

*Typis Tobia Steinmanni, Anno 1599.*





Prudentissimis, spectatissimis,  
integerrimisque viris :

Dn. Casparo }  
Dn. Mathæo } Scheuringen fratribus  
Dn. Georgio } Germanis,

Civibus Reip. VVemdingensis Ornatissimis,  
Affinibus & fautoribus suis colendis  
hasce theses, strenæ loco D. D.

Respondens.

---

Suo Iacobo Strassio.



Vper casta Themis celsis spaciata Deorum  
Templis, despiciens facta nefanda virum,  
Secula Saturni sancta altâ mente revolvit,  
Et gemit in tantum terram abiisse nefas.  
Unigenis non ulla, nec ulla parentibus ipsis,  
Non ulla est soboli, non thalamo ulla fides.

Mortales inter non ullum (ô tempora Sacra!)

Cultorem sperat posse videre sui.

Assiduo Sacrosanctas tum volvere leges

Te, instillaturum jura, videt, populis.

Quæsitum exsiliit te gratabunda sororem,

Te, quam postremam cœlum abiisse canunt.

Pectoreque inventæ hæc placidissima murmura fudit:

Iam prisca è cœlo nos revocat pieras.

*Laurentius Kuppelich.*



Thesis I.



In factum actiones vocantur, quæ proprio & legitimo nomine destitutæ, rem gestam, seu quomodo convenerit, recensent.

In factum actionum definitio.

II.

Harum aliæ sunt Prætoriæ, aliæ civiles,

Divisio.

III.

Deficiente enim civili ex contractu, vel utili in factum actione, prætoria in factum, & in harum subsidium actio de dolo, hæc item non competente, alia in factum subsidiaria datur actio; quod postremum membrum, cum Contio limitandum esse censemus.

IV.

Estne igitur omnis actio præscript. verbis in factum? A. Non tamen omnem in factum præscriptis verbis esse actionem, propugnabimus. *lib. 19 pand t. 5 f. 7*

V.

Descendit autem actio præscript. verbis ex contractibus innominatis. An omnibus? Ita, ut nec articulus facio ut des, excipiatur.

VI.

Condictio causa data, causa non secuta, ob causam dati, causa non secuta, ob turpem vel injustam causam, & condictio sine causa, num similiter ex innominatis contractibus orientur, merito quis dubitet. Omnibus hæc conductionibus indebitum condicimus. Et si igitur, inde concluditur hæc actiones ex quasi contractu descendere: firmum tamen manet, quod supra in disputatione de conductionibus ex promutuo positum th. 3. Conductionem causa data, quodammodo ex innominato contractu oriri, *lib. 19 pand t. 5 f. 39*

*si per condictio*

*lib. 19 c. 1 f. 20*

A 2

Actio





VII.

Actio præscriptis verbis, an cum actione de dolo concurrat, quæri hîc non est inconveniens? Negative concludimus.

IIX.

Num & dolo interveniente præscriptis verbis actio competit? N.

IX.

Ex pactis in continenti bonæ fid. contractibus adjectis, utrum fluat præscriptis verbis actio, olim fuisse controversum Borch. ait, Ex illis pactis actionem præscript. verbis dari prorsus negamus. *lib 4 c. 16 f. 48*

*lib. 14 par. 1. 5  
f. 10*

X.

Estque præscriptis verbis actio vel bonæ fidel, vel stricti juris. Bonæ fid. præscriptis verb. actio in æstimatoriam & de rerum permutatione dispescitur, quamvis Hotom. in conject. de præsc. verb. pag. 192. tradat, Iustinianum æstimatoriam & permutationem non ad restringendum, sed potius ad explicandum ac dilatandum genus subjunxisse.

*Not. ad disp. Divisio act. præsc. verb.  
1010 f. 79*

XI.

In has primo loco occurrit. Actio de æstimato, quæ descendit ex contractu vero civili innominato, quo res æstimata vendenda data est, ideoque vel ipsa res incorrupta, vel æstimatio de qua convenit reddenda.

*Æstimatoria.*

XII.

Refertur æstimatorius contractus ad innominatos, quia negocium tam ambiguum & multiplex, ut incertum sit, ad quam contractus nominati speciem referendum sit, Dubitatum n. fuit ob æstimationem, quæ loco precij est, utrum ex vendito esset actio. ob operas locatio an conductio: & si nulla intervenerit merces, an mandatum esset.

*Circa*



21.  
XIII.

Circa hunc contractum hæc ferè quæstiones [disce-  
ptantur. 1. An periculum in eum, cui res æstimata data  
est, transeat? Quod adhibita distinctione in l. si gratuitam  
17. ff. de præscript. verb. omninò putamus.

XIV.

2. Quid juris, si pluris fuerit res vendita, quam æsti-  
mata? Conventioni standum, qua convenit, ut suscipi-  
ens illud plus habeat, ita tamen, ut etiam casum fortui-  
tum præstet: si non convenit, quin illud plus teneatur  
restituere, dubium non est. XV.

3. An in dubio precij mentione intelligatur per  
æstimationem facta venditio, quæritur igitur, si commo-  
davi equum, & æstimatum tradidi, num detur Actio  
præf. verb. N.

XVI.

4. Si rem æstimatam suscipiens, eam neq; vendere  
neq; restituere, sibi verò retineri velit & æstimationem  
solvere, quid juris? Disting. secundum d. l. 17.

XVII.

An item ut cæteri incerti, seu ut vulgò vocantur, ino-  
nominati: ita etiam æstimatorius contractus celebretur?  
de affirmativa videbimus. XIIX.

Ex permutatione ortū ducit præscriptis verbis actio, *De rer.*  
tum demum, quando species cum certa specie eiusdem *permut.*  
generis commutatur, quod Coras. & Vaud. non arridet.  
De hoc contractu similiter, ut de æstimatorio, dubita-  
tur, cum constet de civili negotio, ad quem nominatū  
referri possit. Quod verò Coras. putat, defendi posse  
hunc contractum esse nominatum, in eo dissentimus.

XIX.

Hic contractus Emtrioni & vend. similis quidem est:  
in eo tamen ab illo distat, quod emtio nudo consensu,

A 3

per-

*h. f. d. m.  
+ dubitum potest;  
h. h. b.*

*h. re*



permutatio verò re perficitur, & in permutatione discerni non potest, vter emtor, vter venditor sit.

XX.

Ac Emphyteuta absq; consensu domini rem Emphyteuticam, secund. communem Dd. opinionem, permutare quidem potest, vendere non item.

XXI.

Quid, si ex vna parte res, ex altera res & precium intervenit, Emptione an permutatio erit? Quid partes expresserint primò videndum esse com. Dd. calculo approbatum.

XXII.

Nam si permutationem dixerint, permutatio: si Emptionem, emtio erit. Quod non obtinere statuimus, si impositum nomen, repugnet negotio, quod geritur.

XXIII.

Videndum deinde, an res vel pecunia plaris sit, ut ita secundum id, quod excedit, iudicetur.

XXIV.

Quid autem si eiusdem valoris sit pecunia, & res pro re data? permutationem vel potius contractum do ut des esse in dubio contra Alciat. & Covarr. statuimus.

XXV.

Spiritualia cum temporalibus, præbenda cum præbendis permutari, jus can. non permittit. permutatione autem beneficiorum, ex vna parte impleta, si altera pars non stat promissis, vtrum prior ex capite causæ non secutæ ad suum redibit? N.

XXVI.

L. 2. C. de res. vend. an æquè in permutatione, ac in emptione locum habeat, quæritur? Quod asserimus. Secus in actionibus præf. verbis, quæ sunt stricti juris,

Lex



*An* **XXVII.**  
**Lex autem seu statutum de Emtione loquens, an  
etiam de permutatione accipi debeat, quæstionis est? N.**

**XXIX.**

Tantum de Actionib. quæ bon. fidei. Actiones præ  
scriptis verbis stricti juris promanant ex contractibus in-  
nominatis, de quibus constat, quod ad contractum no-  
minatum referri negotium nequeat, vel de quib. dubi-  
tatur, an ad aliquem nominatum referri possint. Ho-  
rum species ex do & facio nascuntur do vt des, do vt fa-  
cias, facio vt des, facio vt facias.

*vid. d. nec. ad  
sig. pull. ut  
1615 f. 79*

**XXIX.**

Cuius loci illud, an sub particula **SI** rectè concipi-  
atur innominatus contractus v. gr. si dederis faciam?  
Expleta demum conditione, contractum eiusmodi in-  
cipere dicimus.

**XXX.**

Quo ad contractum do vt des notandum, si pecuni-  
am do, vt rem accipiam, Emtio & vend. est: Sin autem  
rem do, vt rem accipiam, erit contractus innominatus.

*Do vt des.*

**XXXI.**

Vbi & illud occurrit dubium, si scypho tibi dedi,  
vt mihi Stichum dares, cuius sit periculum? Periculo  
meo Stichus erit, actu duntaxat culpam præstare debes.  
Nec contradicit Cels. in l. vlt. de Cond. caus. dat. quoni-  
am ibi agitur de cond. tione ob causam dati causa non  
sec. hîc alia obligatio & actio est.

**XXXII.**

Articulus do vt facias, magnam cognationem ha-  
bet cum locatione, sed hoc differentia subest, quod ad  
Locationem constituendam pecuniæ datio requiritur,  
ad contractum do vt facias, non item.

*Do vt fac.*

Deinde



XXXIII.

Deinde contractus, do ut facias, omnia facta admittit, Locatio non item, quaedam n. facta sunt, quae locari non possunt.

*Facio ut des.*

XXXIV.

Articulus, facio ut des, an similis sit locationi, dissentio est inter interpp. Affirmantibus, subscribimus.

XXXV.

Quomodo igitur contractus hic à contractu proxime præcedente differt? Placet illorum opinio qui id non ex initio & conventionem, sed ex implemento æstimandum esse, iudicant.

XXXVI.

*Facio ut fac.*

Postremus articulus, facio ut facias, mandato similis est, interdum commodato.

XXXVII.

Ex quo similiter, ut ex superioribus, oritur præf. verbis actio, ut conventioni satisfiat, vel interesse præstetur, & conventus, ut quod promisit, præstet, præcisè cogi nequit, sed præstando interesse liberatur, unde & actio incerti nominatur.

*1. l. 4. c. 1. d. f. 25. §. 1. m.*

XXXVIII.

Num & conditioni locus, si de facti repetitione quaeritur? Negamus omninò. Sed nonne & in cæteris innominatis cessat repetitio ob naturalem obligationem? Ante implementum naturalem obligationem subesse negamus, adeò ut ex vna parte implemento interveniente poenitentia vires obtineat.

*4. l. 2. §. 1. f. 17*

XXXIX.

Coronidis loco, erroneam esse asserimus eorum opinionem, qui donationem, Emphyteusim, & feudum, contractibus innom. associant.

XL.

De precario valdè dubitant. Id innominatis associandum esse tuebimur, sicut etiam transactionem contra Coras, non planè excludimus.

F I N I S.



Kc 3192

8<sup>o</sup>

(X2217985)

VO 12

MC











B.I.G.

Farbkarte #13



DISPUTATIO XXI.

# DE INFACTVM

IONIBVS, PRÆSCRIPTIS  
ERBIS, ET CONTRACTIBVS  
innominatis,

*Quam*

Auspice Deo Opt. Max.

Sub Præsidio

Dn, Ortolphi Fomanni I. V. D.  
& P. P. P.

publicè disputandam

Proponit

Jacobus Strassius Allerheimensis,

*Ad diem 21. Decembr. hora & loco  
consueto.*



J E N Æ

is Tobia Steinmanni, Anno 1599.

